

bam necessitudinem, pariter te errantem, ac illum scelera-
tissimum persequi. Ad hoc, populo Romano, jam a principio
inopi, melius visum, amicos, quam servos quaerere; tutius
rati volentibus, quam coactis imperitare. Tibi vero nulla
opportunior amicitia nostra: primum, quod procul absumus;
in quo offensae minimum, gratia par, ac si prope adessemus:
dein, quod parentes abunde habemus; amicorum neque
nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. Atque hoc utinam
a principio tibi placuisset, profecto ex populo Rom. ad hoc
tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus
esses. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit,
cui scilicet placuit, te et vim, et gratiam nostram experiri:
nunc quando per illam licet, festina, atque uti coepisti, perge.
Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis
superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, nunquam
populum Romanum beneficiis victum esse. Nam bello quid
valeat, tute scis.

IV.

ORATIO BOCCII AD SULLAM, qua suum erga illum studium
exponit, et se bellum populo Rom. facere voluisse negat.

Ex belli Jugurthini cap. CX.

Numquam ego ratus sum fore, uti rex maximus in hac
terra, et omnium, quos novi opulentissimus, privato homini
gratiam deberem. Et hercule, Sulla, ante te cognitum, multis
orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id
imminutum, quod ceteri dolere solent, ego laetor. Fuerit
mihi pretium, eguisse aliquando tuae amicitiae, qua apud
animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet:
arma, viros, pecuniam, postremo quidquid animo libet, sume,
utere; et quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam puta-
veris, semper apud me integra erit: denique nihil, me sciente,
frustra voles. Nam ut ego existimo, regem armis, quam